3
36

GERARDI

FABRITII BELLOASPE= ctij Cadurcani, philoſophi & medici, encomiaſtica Medicinæ, & ad= uerſus eiuſdem calumniato res recriminatoria

II-5-B-4

ORATIO.

HABITA IN DOLANA FLO= rentiſſima Burgundiorum Academia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRTVTE DVCE



COMITE FORTVNA.

VENETIIS apud Ioan. Gryphium.
M D XLVIII.

REVERENDIS. D. DOMINO Tornacẽſi Epiſcopo, principi illuſtriſſ. Domino CAROLO à Croyo, Mecœnati obſeruantisſimo, ac humaniß. Domino, Gerardus Fabritius Belloaſpectius Cadurcanus, S.P.D.

CVM SVperioribus diebus Preſul Reuerendiſſ. ad Tridentinum cõcilium properares, accidit, neſcio quo modo, partim quod concilium propter bellum Germanicum nõ adeò procederet, partim quòd non ex omni parte tibi integrum uideretur: & ſubinde etiam quia propter tui corporis ualetudinem nõ omnino erat conſultum diſcedere: ut Dolæ florentiſſimæ Burgundiaci Comitatus Academiæ hac tota maneres hyeme. Me-

cum itaque altius hæc & maturius repetente, reputante, & propius etiam tandem inſpiciente, tibi non eſſe per tuam ægritudinem cõmodum, tam cito ac uelles illam Academiam relinquere: cœpi demum, ſentiens id eſſe gratiſſimum tibi, ne prorſus in illa eſſem ἄμουσος Academia, aliquid in bonarũ literarũ, uel potius diſciplinarum gratiam meditari. Veruntamen, cum profeſſionem medicam non ſolũ iſthic, etſi tamen bene docti & instituti eſſent profeſſores, ſed ubiq; fermè langueſcẽtem & frigeſcentem uiderem, et apud aliquos in dies, iniuria certè, confabulatione in ſympoſiis quotidiana, & malè audire, & ſine ulla ratione conuelli, infirmari, & petulantius dilapidari: operæpretium fore duxi encomiaſtica oratione illorum maledicta, ſycophantias & ineptas coutume

lias, paucis, urgentibus tamen argu-mentis reiicere, & pro uirili confuta re. Qua in re, ita meam temperaui orationem, ut neque omnia, quæ in il-lam obiici poſſunt, ad ipſa uerba elide rem, creuiſſet enim in librum noſtra oratio, ſed illa tantum, quæ mihi oratu ro occurrebãt. Quæ tamen, ſi doctus aliquis exactius cõferẽdo omnia ſimul penſitet ſecũ, indoctorum .n. apinas, & plus æquo ſine iudicio indoctas garrulitates parum curamus, abunde illis omnibus maledicis, conuitiatori-bus & ſycophantis, ſola iſta ſatisfieri oratione iudicabit. Quãuis tamen hoc in ſuſcepto negotio ſatis eſſe nobis cre debamus, et hanc artem laudandi uiã, & ſycophantias, & in illam, de omni-bus bene merẽtem, obtrectationes diſ ſoluendi, acuto uiro commonſtraſſe: quãdoquidem aliorum ingeniorũ ſor

des parum nos mouebant, quibus nimirum futilis et indoctæ contentionis nullus finis eſſe poteſt. Porrò cum paucis poſt diebus ſuſurro me aliquibus Medicinæ oſoribus haud planè ſatiſfeciſſe intelligerē: æſtimaui illos, uel inter dicendum non omnia exaudiſſe, eo quôd parum forſan aduertiſſent, uel quòd curſim dicendo, longa timens oratione doctos obtundere, quædã obmiſerim, aut tumultuariè et properanter nimium recitauerim; ſatis enim ſciebam me, ne libro quidem amplisſimo, in quē potuiſſet, ſi uoluiſſem, noſtra hæc oratio excreſcere, indoctis peruicacibus & contentioſis ſatiſfacere poſſe. Quo mediusfidius, factum eſt, ut hanc noſtram tumultuariam & perfunctoriè conſcriptam orationem, in omnium manus euoluendam emitterem: ut illi nimium ſcrupu-

loſi Mωmi altius rem expenderent,
maturius excogitarent,ſubindeq; pru
dẽtius et acuratius magis iudicarent:
& de hinc,per me enim licet luculen-
tiori & locupletiori oratione,aut ſua
laudarent,aut noſtra hæc, ratione et
non ſtulta loquacitate confutarent,ar
gumenta diſſoluerent: aut hanc rem
mecum, ne parum pudentes & grati
in uitæ ſuæ conſeruatricem uidean-
tur, ſi tranquillius in ſuis conquieſcant
ſtudiis, doctius, elegantius, & phale-
rata magis oratione, à me quaſi digi-
to intenſo uia monſtrata, aggrederen
tnr. Quandoquidem non tantum mihi
in hoc inſtituto placere uolo, ut illud
à me motoriam quaſi fabulam agen-
te, & indies ad nouum iter me paran-
te adeò fœliciter tentatum & aggreſ
ſum eſſe putem, ut omni ex parte eſ-
ſet integrum et plenum, et ita τὸν λύχνον,

ut dicitur, oleret, ut nihil plane in eo eſſet deſyderandũ: Quid aũt præſtiterim, aliorũ eſto iudiciũ. Cæterũ princeps illuſtriſſime, cum ferme poſt hominum memoriam fuerit à doctis uiris diligenter conſuetudo obſeruata, ut, ſi quando aliquid ab illorum manibus in publicum elaberetur, illud ſuis Mecœnatibus, quaſi μνημόσυνον *aliquod ſtudii in illos ſui, officii aut obſequii nuncuparetur: nolui ab illa, uel ab antiquo recepta conſuetudine, iudicio meo laudis plena, deſciſcere, præſertim data per tuam ualetudinem occaſione, in qua imprimis tibi erat commodus, & ualde etiam neceſſarius medicus. Quamobrem, etſi res tuo tãto nomini illuſtriſſimo genere claro non eſſet digna: tamen partim mei in te animi ſtudium declarãdi gratia, partim, ut ſub tui tanti nominis autoritate &*

fauore,

fauore, et primi illius etiam tui Hungarici generis percelebri, antiquiſſima & illuſtriſsima nobilitate, tuorum ſemper patrum, auorum & attauorum uirtute ab hinc uſquè confirmata, à Mωmis tutiores noſtræ iſtæ nugæ in publicum, editionis aleam ſubituræ, emmitterentur, tuæ Reuerendisſimæ paternitati dedicare uolui. Cape igitur nunc hoc munuſculum princeps illuſtrisſime, & primis eccleſiaſticarum dignitatum titulis in Barbantia, Hannonia et Flandria, ornatisſime, longè maius forſan poſt hac, ſi otium magis tranquillum concedatur, accepturus: potisſimum, ſi te noſcã, noſtris iſtis abortibus delectari, & illis ex animo fauere. Deus interim optimus maximus te ad multos annos ſuæ eccleſiæ optimũ patronum, & magis ac magis gregi

tuo vigilantiſſimè ſuperintendentem paſtorem, & in conſilio ſuæ ſanctiſſimæ fidei ſolertiſſimum ac ſedulum defenſorem inſtituat, & ſeruet. Vale in Chriſto preſul & princeps Reuerendiſſime & illuſtriſſime, & clientulum tuum, quod hactenus feciſti, ama, & tua exere munificentia, & etiam exorna & honeſta. Dolæ apud Burgundos III. Cal. Martii raptim.

GERARDI FABRI
TII BELLOASPECTII
Cadurcani, philoſophi & medici, encomiaſtica Medicinæ, & aduerſus eiuſdem calumniatores recriminatoria

ORATIO
HABITA DOLÆ.

SI MIHI VNquam uiri circunſpecti, ſuggeſtū publicum cōſcenſuro fuit timēdum, cum circulatim in uos omnes, & talium & tātorum auditorum coronam conijcio oculos, non poſſum ullis mihi rationibus perſuadere, quin nunc maximè mei, ſi quod eſt nominis & famæ naufragium magnamq; iacturam facturus, debeam timere. Nam ſi dextram uerſus diuertam oculos, illic mihi totius Academiæ Rector in Republica literaria & uigilantiſsimus, & eruditione benè multa uenerandus obijcitur: quem comitantur ſenatores ſplendidiſsimi, Doctores Theologiæ graues, Iuriſperiti prudentiſsimi, eximij & peritiſsimi medici: & uos omnes illuſtres & generoſi. Quorum maturius penſitando cum propius

expenditur, non ſola aura populari in me excitata opinio, ſed doctis præelectionibus plus ſatis ultro confirmata, uox ferme faucibus hæret. Quòd, ſi forſan reſumpturus animum, in ſiniſtro ordine ſedentes, & iuxtà etiam totam cohortem in medio auditorio frequẽtem, & quaſi ex me pendentem, conſpiciam: ſentio multos, uel etiam propemodũ omnes, ne φιλαυτὸς uidear, non ſolum eruditione, applauſu & admiratione populari, me in hac percelebri, haud quaquam infeliciter in Iuriſperitia florente Academia, adhuc ignotum uincere, & longo etiam interuallo ſuperare. Qui ergo uiri humaniſsimi, humaniſsimos uoco, quòd hominem nullo ſui ſpecimine adhuc in hac Academia notum, auribus æquis audituri tam turmatim ueneritis, fieri poteſt, quin partim pudore, partim tantorum uirorum conſpectu et expectatione commotus, uobis aliquantulum perturbari uidear? Addatis etiam quòd ferè ſemper, tam eſt huius ſeculi infelix nimium conditio, ut quiſquis, quantumuis doctus, uerbo aut ſcriptis in publicum prodiens, magnã ſui nominis & famæ iacturam, uel à ſordidiſsimo quouis, ſit paſſurus. Siquidem, ut Budæus ille noſtri ſeculi, & doctiſsimus, neminem planè excipio, & antiquitatũ inſtaurator, eleganter et prudenter ualde dicit: πολλὰ
Budæus. *ῥᾷον ἐστὶ μωμήσεσθαι ἢ μιμήσεσθαι: &, ut uno uerbo, quod res eſt, dicam, hoc tempore perdifficile eſt, τῷ μώμῳ ἀρέσκειν. Nam in hac tam infelici, uel ex eo, tẽpeſtate multos, ne cõmuniter omnes dicam offendes, qui etiam in ſandalio ueneris, quod carpant, inuenire poſſint. Et, quod maximè me offendit, quo quiſque minus*

ingenio ualet,eo libentius Mωmi *perſonam induere cu=*
pit:ea,ni fallor,ſpe,ut cum nihil, ſuo marte, dignũ,quo
ſuum nomen poßit è ſordibus exerere, preſtare ualeat:
& ſit, ut Homerus *inquit*, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, Homerus,
doctorum tamen uirorum ſuggillatione, uel etiam con=
tẽptu,ut ipſe maior uideatur,auram captare uult popu=
larem,ut,ſi non inter doctos, ſaltem inter fungos & mi
nus emunctæ naris homines,aliquid eſſe credatur. Hoc
etiam multò plus meum exagitat animum, & certè in
diuerſas partes rapit: quod forſan multi ex uobis huc
oſtentationis gratia,ſpecimen aliquod mei apud uos de=
poſiturum,me exiſtiment ueniſſe. A *qua opinione, &*
falſa de me perſuaſione,per eam,quã proximo uos Chri
ſtiani,debetis fidem,beneuolentiam & charitatem alie=
nos eſſe uehementer obteſtor. Q*uandoquidem quæ mihi*
apud uos expectatio,opinio,aut ingenij mei oſtẽtatio de
M*edices encomio iam dicturo,poſt* E*raſmum illum* Ro
terodamum eloquentiæ dexteritate apud omnes maxi=
mum,excitari,quæ laudem mereatur, poteſt? V*eruntã*
men,uel ueſtrum omnium iudicio auſim cõtendere, me,
etſi non tam amplo,concino,patulo, & rhetoricis leno=
cinijs exornato,tamen obſcuro magis, aſperoq; contorto,
philoſophico & neruoſo dicendi genere, iam non acta,
quod fortaßis prima fronte multi putabunt,agere. V*e=*
ſtrum tamen hac in re auditores beneuoli, ſanum &
philoſophicum iudiciũ, & nõ ſolo R*hetorices fuco con*
firmatum,deſydero. E*xcutite igitur hanc de me, & a=*
liam quamuis minus integram, ſi quæ tamen eſt in uo=
bis,falſam, & parum æquam perſuaſionem: et iam au=

dite, qua maximè occaſione hanc profunciam, duram ſanè, & fortaſſe meis humeris imparem, in tantorum uirorum conſpectu tremebundus ſuſceperim. Cum ab ipſa iuuentute meus ſemper fuerit mos & conſuetudo, ſi diu mihi in aliqua eſſet hærendum Academia, aliquid aut publicè, aut priuatim, ſi mihi per tempus auſa daretur aggredi: diu multumq; mihi cogitanti, qua potiſsimum ratione non à ueteri illa, mea ſententia laudabili conſuetudine, deficerem, non prorſus uidi aliam mihi id exequendi occaſionem dari, quòd maximè hic ars medica frigeret, quam, cedò uel quamuis arbitrum, modo me diligenter & attentè audieritis, illam utiliorem, iocundiorem, cõmodiorem, antiquiorem, & magis etiam neceſſariam alijs omnibus artibus, induſtria humana inuentis, ad penicillum uobis & quaſi digito commonſtrarem. Quandoquidem nihil iam aliud ex ueſtra omnium corona, quantũ ex fronte & ex facie tota cõiectare poſſum, de doctis & aliqua eruditione illuſtribus loquor, debeo expectare, quàm aures ad audiendum æquiſsimas. Quo fit, ut ueſtra omniũ beneuolentia, & parato ad omnia, quæ uobis ſum dicturus, excipiendum animo, & uultu etiam magno fauore conſpicuo, magna etiam de uobis omnibus confidentia, in medium hoc pelagus, nihil iam de naufragio cogitans, quaſi protruſus, me ultro tamen et liberè cõiecerim. Vincat ergo, uincat omnẽ pudorem, timorem, & iſtorum Mωmorum turpiſsimam inſolentiam ueſter fauorabilis conſpectus & de uobis ex facie excitata perſuaſio, ſtudium in me ueſtrum, & mihi imprimis grata de uobis omnibus confidentia: & iam

dabò uela uentis. Siquidem id ſolus ueſter omnium conſpectus, facies, frons exporrecta, & denique totus corporis habitus, mihi, uel ex ſolo geſtu, iam impenſius & cumulatim ſatis perſuaſerunt. Cũ itaque uiri humaniſsimi, omnis de re aliqua ſuſcepta quæſtio, ut magnus ille eloquentiæ parens, poſt illũ dicendi & intelligendi grauiſsimum autorem, uult, debeat à definitione proficiſci: primum, ut omnia uobis quàm perſpicuo ordine, quaſi ſubijciantur oculis, quid ars medica dicetur: ab hoc partes enumerabuntur diligenter: ſubinde ab antiquitate, utilitate, iocunditate, neceſsitate & ipſius autorum inuentione, & eorundem antiquitate, ad alias artes facta paucis collatione, nobis illam apud uos ſatis erit commendaſſe. poſtremo non minus ſedulò quàm diligenter, quorundam crapuloſorum hominum offutias, maledicta, contumelias, maleuolentiam & obtrectationes, quàm perſpicuè & euidenter diſſoluemus. Ab ijs tandem illos qui multa pellecti crapula, aut alio quouis temulentiæ amore, noſtram hanc artem, ſola nominis illuſione, contemptu, uel, ſi mauis, ridiculo quodam ſcommate, uel potius ſordidiſsima ignorantia, de ipſa tamen bene m..riti, infirmare uolunt, ratione adeò neruoſa, urgente, &, ut cum philoſophis loquar, ſcientifica, illos conuincam, ut ueſtrum nullus, niſi forſan impij & hominis planè rationis expertis perſonam induere uelit, non abunde illis omnibus maledicis & ſycophantis ſatisfactum eſſe negare poſsit. Quorum uos omnes ſi me diligenter, patienter, & ſine pedum, quod ſpero, ſtrepitu audieratis iudices, & quaſi oculares teſtes faciam: & uos tan-

Plato in proœ.
Cicero in offi.

Gal. ex Heroph. adducta defini.

dem à principio ad finem uſque me audiuiſſe haud peribit. Medicina igitur non ſolo Galeno, ſed longè antiquiore teſte Herophilo, ſcientia, ſeu ſi magis adridet tibi, ne inter deſerendum etiam ſcrupuloſo philoſopho anſa contendendi relinquatur, ars eſt, non inſalubrium tantum, ſed ſalubrium & neutrorum, ſiue ipſa ſpectes corpora, ſiue ſigna ſiue cauſas. Hoc eſt, quæ uniuerſam humani corporis naturam, utpote omnem eius diſpoſitionem, ſanam, ægram & inter has duas medio modo ambigentem: inſuper & talis diſpoſitionis cauſas, tam inſalubres, ſalubres quàm neutras, docet proprijs ſignis cognoſcere, &, ut eſt cōmodum, in homine certis remedijs conſeruare, reprimere, aut etiam ſi inſiſtent, & actionem lædant, depellere. Cuius tibi tantum tres primas ſeu genericas partes faciam: φυσιολογίαν, ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν. Siquidem ἡ παθολογία, αἰτιολογία καὶ σημειωτικὴ, & ſi inter illas Medicinæ partes, & aliæ quædam ſpeciatim magis expoſitæ ab aliquibus enumerentur: tamen quia ſub illis primis generibus apertiſſimè compræhenduntur, nolui me dutius in his ſcrupuloſius recitandis macerare. φυσιολογία igitur, ne ignotis uerbis utar, humani corporis naturam, materiam nimirum & formam, & prima illa rerum naturalium principia, ignem, aërem, aquam & terram, quæ elementa philoſophi dixere, primum monſtrat, ſubinde, quî ex ipſis per alimēta in nobis quatuor humores, ſanguis, pituita, atra bilis & flaua, atque etiam ex ijs prolificum ſemen & menſtruum: & mox quaſi ex ueſtigio, ſed ex ordine tamen, ex ijs partes omnes generentur:

tur: & ab illis certa temperamenta, & ipſorum pro=pria ſigna & actiones excitentur. Sed mihi, Græcorũ uerbis et dicterio utens, dicet ille, quem corrugata fronte, labris obductis, in terrã fixis oculis uideo: τοῦτο γὰρ ἐ[illegible]μῶν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς ἔπος. Quid audio? quis tu tandem ille es, qui mihi id obijcere audes? an non admi=raris philoſophum de rerum naturalium principijs, & earundem generatione & corruptione diſſerentem, & ipſum diligentiſsimè audis? nõne etiam coſmographum, geographum, terram in quatuor partes Europam, Africam, Aſiam & Americam diuidentem, & illius climata, prouincias, ciuitates, maria & fluuios, & illorum omnium certos ſitus deſcribentem, legere pulchrum & iucundiſsimum arbitraris? an non etiam multos annos in ijs diſcendis conſumendos eſſe iudicas? ſed quorſum prœcor quatuor illa rerum naturalium principia, & id genus alia, ſcire pulchrum putas, ſi tua, quibus conſtas, elementa, partes, & ipſorum actiones & ſitus ignores turpiter, & de ipſis diſſerentem libenter non audias? Pulchra quidem, utilis, iucunda, commoda & ualde etiam neceſſaria eſt coſmographia, geographia, aſtronomia & philoſophia: ſed longè pulchrior, iucundior, commodior, neceſſarior eſt ars noſtra medica: quæ quomodo iſtis conſtes, & quî in illis ſanus, illorum moderato temperamento, conſeruari poßis: aut ſi forſan malè habeas, qui à te morbum expellas utiliſsimè docet. Veruntamen digreßi paulo liberius, redeamus tandem ad illam Medicinæ partem, quæ ὑγιεινὴ uocabatur, cuius officium & precipuum munus eſt noſtri corporis ſani=

tatem, fluidam illam quidem, lubricam, et quaſi indies in grauiſſimos morbos labeſcentē, per ſumenda, admouēda, educenda, facienda conſeruare, & neutrum illum ſtatu=tum, de quo ſupra, in melius efformare. Adde *etiā quòd hæc ipſa aliquando minus prolificum ſemen, non ex æquo moderata in ipſo caliditate, ſiccitate, frigidtiate & humiditate, aut horum inter ſe, uel cū humoribus etiā, parum iuſta commixtione, ut ad noſtri generationem aptum & commodum fiat, haud ſine magna aliquando ad genus noſtrum conſeruandum neceſſitate, aperit & docet.* Q*uo quid nobis utilius, commodius, aut etiā ma=gis neceſſarium in hoc mortali ſeculo hominibus eſſe cen ſes?* Hanc *tertia non ſolo diuiſionis ordine, ſed etiā alijs duabus tempore inferior & dignitate, ſequitur, quæ* θεραπευτικὴ, *hoc eſt curatoria uocatur: quam, ſi di=ſtinctius loqui tibi placet, in* διαιτητικὴν φαρμακευτι κὴν καὶ χειρουργικὴν, *diſtinguere potes.* Hæc *inquam, il la eſt; quæ corpus noſtrum iniuria aliqua interna uel externa affectum, ſeu fatiſcens & langueſcens miſerè, tā in partibus ſimilaribus, organicis quàm cōmunibus, reſtaurare & ſanitati reſtituere poteſt.* Q*ua quid iu=cundius commodius, utilius homini, aut longo morbo mi ſerè tabeſcenti, aut ſubito ad mortem properanti, eſſe po teſt?* Philoſophia *tamen illa, quæ animū noſtrum in mo ralibus uirtutibus efformandum, ſed imperfectè tamen,*

Auguſt. in lib. de ciuitate Dei.

ut D. Auguſtino *placet, docet: & ſacra hac in re, ut in alijs etiam, quæ ad animum pertinent, omnibus, multò perfectior* Theologia, *magna quidem eſt, pulchra, iu=cunda, & ualde etiam neceſſaria.* Sed *dic precor, quid*

ab ijs præſtabitur, ſi langueſcat corpus, aut anima à corpore diſſoluatur? Præſtantiora autem animæ bona corporis bonis, ut hæc etiam fortunæ, non inficias eo: ſed hoc, uel quotidiana auſim affirmare experientia, nemi nem probè illis uti poſſe, ſi morbis offendatur grauiori bus, aut etiam in mortem infelicius prolabatur. Nam ſi anima, cuius præcipua in corde, ut aliquibus placet phi= loſophis, aut etiam in cerebro ut Platoni, & alijs melio ris notæ hominibus, ſedes eſt, per organa & ſpirituo= ſum in arterijs contentum ſanguinem, uel ex eo ex= citatum ſpiritum, aut etiam calorem natiuum, ſuis fun= gatur muneribus: quì fieri poterit, ſi hæc à malis ſuc= cis fuerint obſeſſa & læſa, quin, ne tantum dicam, ali= qua animæ functio, ſed et ratio et iudicium præpedia= tur: uel hoc maximè, ſi aliqua in rebus naturalibus fides philoſophis ſit habenda, quòd forma niſi per materiã, ut illorum utar uerbis, prædiſpoſitam non poteſt operari? Quo ſanè fit, ut Platoni inſigni philoſopho placet, quod uos etiam experientia, ni meus me fallit animus, edocti uobiſcum muſitantes nunc mecum etiam affirmatis, ut humiditatis in infantibus abundantia animæ operatio= nes præpediantur: ſicuti in extrema ſenectute plus iuſto excedente frigiditate & ſiccitate: aut etiam, ut Galeno placet, excrementicio frigido & humido temperamen= to. Sed quia hæc paulo poſt ex prefinitò magis tracta= buntur, nunc hoc ad præcedentia adiungamus. Si is qui uirtutum ſtudio à morali philoſopho, aut etiam, ſi ma= gis tibi placet, theologo eſt exercendus, uel etiam ipſe philoſophus aut theologus, ſine arte medica non tantum

Plato lib. 5. de legibus & Ariſto. lib. 1. Ethicorũ.

Ariſt. lib. de anima. Pla. in Timeo phedo Axiocho. quarto Rebub. & alijs multis locis Gal. Hippo. & Pla. ſequutus in lib. de Placitis Hip. & Platonis & in lib. de uſu partiũ & locis affectis.

Plato in li. ſuperius adductis & Ariſt. lib. problematum Gal. lib. de temp.

Gal. lib. de tẽp.

ſanitatem tueri, ſed ne omnino, cum ſit uarijs morborum caſibus obnoxius, in uiuis poteſt conſiſtere: quantopere noſtra ars medica, ſine qua, ne aliæ quidem tantum eſſe poſſunt, alijs omnibus, & commodior, & magis etiam neceſſaria cenſebitur? Porrò, ſi hanc cum antiqua illa, nihil ex theologia, aut etiam philoſophia emendicante, iuriſperitia conferre uelis: an non tibi, ſi aliquo polles iudicio, eo præſtantior uidebitur, quo corporis bona fortunæ bonis ſunt præſtantiora: potiſsimum cum hæc in his, illa in illis occupetur? Sed hæc tandem pluribus ſatis ſit hic attigiſſe. Et nunc, qua poterimus breuitate ad medicinæ inuentores deſcendamus: & illam ab ipſorum autoritate, antiquitate & preſtantia commendemus. Quandoquidem hæc non à uulgari quodam homine, ſed ab ipſis Gentilium Dijs, & non à Dijs tantum gentilibus, ſed ab ipſa prima & antiquiſsima doctrice natura, quod apud ipſos philoſophos plurimum ualere debet, ortum habuiſſe oſtendetur. Verum enimuero neq; id quidem ſolum, quia non tantum apud illos, uerum & apud theologos, res nobis tractanda proponitur, ſed etiam à ſanctis patribus, & ab ipſo ſummo omnium rerum domino opere, autoritate & præcepto confirmata, & ſingulari quodam præter cæteras encomio exaltata, uobis apertiſsimè monſtrabitur. Veruntamen, ut unum ex multis tandem aggrediar. Quis, niſi forte omnem antiquorum hiſtoriam uoluerit non ſolum confundere, ſed prorſus, cœlum cum terra miſcendo ſubuertere, poterit negare, quin hæc primum quidem à Chirone Saturni filio inuenta fuerit ſubinde ab Apolline fœliciſsimè aucta,

Plin' lib. 7. naturalis hiſto.

Herodotus lib. 1.

& ab his poſt paulo Æſculapio Apollinis filio tradi= ta? Quæ tandem temporis lapſu ex Græcia primũ per Archagatum peloponenſum artis medicinæ ſtudioſum Romæ anno plus minus centeſimo trigeſimo quinto à condita urbe cœpit florere: & paulo poſt ille à Roma= nis conſulibus, etſi tantum prima quædam Chirurgices artis præcepta teneret, Quiritũ tamen iuri eſt donatus. Neque, uel ex hoc ipſo anſa data, hanc noſtram artem potes perſtringere, q; non uſq; adeo multum poſt, idẽ ipſe in diſſecãdis uulneribus crudeliter factus, cũ multa medicellorũ turba ab urbe fuerit detruſus. Nã etſi Ro= mani hanc artem faciebant multi, ut ſatis ex Archagato illo ſtatim iuri Quiritum donato, uidere potes: tamen indoctos modicellos, & illorum errores, uel ſummo iu= re, ut in alia quauis arte fieri ſolet, non diutius potue= runt, ut neq; etiam certe debebant, diſsimulare. Sed cur paulo ante illam à Gentiliũ Dijs, ut ipſa in aliquo apud uos prætio eſſet, originem traxiſſe ex hiſtoricis tantum docui: præſertim cum ipſi Gentilium Dij & deorum filij, non modo in Medices, ſed in unius ſolius herbæ in= uentione, & Reges etiam magni occupari pulchrum, & Dijs & regibus dignũ eſſe crediderint: ut, ne lon= gius ab eam, Mercurius in herba Moly uocata, Æſcu= lapius in panace, Achilles in Achillea, & Gentiles Illy riorum rex in Gentiana, à quo nomen eſt illi datum? Cæ terum hæc, etſi campus, ſi Rhetorum more hic oratio= nem meam uellem extendere, et fluxu uario exornare, ampliſsimus diſſerendi & amplificãdi offeratur, alio et ad ſeniora properans, miſſa facio. At prodibit forſan hic

ex hiſtoricorum ſinu aliquis, qui ex eodem Herodoto
probatiſsimo hiſtorico, Babilonios non uſos fuiſſe ad mul
tos annos Medicina contendet. Verum, quia tota hæc
cõtrouerſia in ſolo cõſiſtit nomine, ſatis mihi et uobis ui
deri debet, ſi hiſtoria paulò altius repetatur. Nã hi bono
rũ medicorũ penuria, ut uerisſimile uidetur, ſuos ægros in
triuijs, aut foro etiam publico exponebant, ut ſi forſan
quis ſimili morborum genere fuiſſet uexatus, illius con=
ſilio, & in ſe experta arte, illi priſtinæ reſtituerentur
ſanitati. Apud quos ſenſim tantum Medicinæ excreuit
Herodotus lib. 1. *uſus, etſi nomen medici, ut Herodoto placet, apud illos*
tunc non audiretur, ut temporis fluxu & progreſſu
Plinius lib. 7. naturalis hiſto-riæ. *ſingulis morbis, ſinguli nuncuparentur medici. Vnde,*
uel etiam me tacente, notum eſt, plus apud illos quàm
apud nos ualuiſſe & Medicinæ nomen & uſum. Sed,
ut altius hic uobiſcum à me res & maturius expenda=
tur: cur me tantum mouit, & Deorum Gentilium au=
toritas, & hiſtoricorum fides, ut artem quæ longo tem
poris interuallo illos preceſſerit, ab illis inuentã eſſe af=
firmauerim, cum tantum ſit illorum autoritate confirma
ta? Quid? an non ſtatim ab ipſo mundo condito ceruus,
Ibis, Hippopotamus, canis, hirũdo et muſtella, ut hæc ſo=
lum ex tãto animalium genere pro exemplo enumerem,
fuerunt, an non ipſis Gentilium Dijs longè antiquior na
tura? Atqui hæc ſola Dictamum herbam ceruo ad ex=
trahendas ſagittas commodam eſſe docuit, ut etiamnum
hirundinibus chelidoniam maiorem oculis: & ſubinde ab
ipſis edocti homines ſcripto rem tradiderũt. Præterea,
an non ab Hippopotamo ſanguinis misſionẽ plethoricis

commodam eſſe eſt oſtenſum. qui aßidua ſatietate paulo grauior factus, ex Nilo in litus proſiliens, recentes harundinum cæſuras uidens, in acutiores imprimit corpus, et ſanguinis profluuio morbidum corpus exonerat? Nonne Ibis aqua roſtro coniecta in animum marina proluere aluum, & ſe ab excrementis exonerare nobis oſtendit? Item an non etiam muſtella, ueneno ex ſerpentum pugna contracto, ob idq́; ineptior ad pugnam morbo reddita, ex ruta ſalutem quærit morbumq́; propellit? Canis etiam ſingulis ferè diebus non'ne herba quadam maſticata & uorata onus uentriculi Vomitione deijciendum monſtrat? Sed quo doctore precor? an non ſola natura? Quo, uel ſolo, palam eſt, noſtram hanc artem omnibus alijs antiquiorem eſſe, & ab ipſa ſola doctrice natura primam traxiße originem: & paucis poſt diebus homines ex ijs & ex alijs multis, quæ hic breuitatis cauſa relinquo, & ſanguinis mißionem, & uenenorum præcautionem, & per inferiora & ſuperiora hominibus neceſſariam fore purgationem didiciſſe. At, ne ſurda, quod dicitur, aure, uidear hic Baſilij magni rei noſtræ accomodatißima exempla imprudenter tranſiliſſe: non'ne urſa multum frequenter altißimis ſauciata plagis ſibipſi uerbaſco commodißimè medetur: & illius ſicca herbæ facultate carnem producit, & prudentißimè cicatricem obducit uulneri? Vide etiam uulpeculam, ut ille ad maiora nos uolens perducere dicit, lachrima pini ſeipſam priori reſtituentem ſantitati. Teſtudo etiam uiperina impleta carne origani uirtute ueneni labem, iaculantisq́; beſtiæ uenenum non minus utili ef= Baſilius mag. in examero.

ſugit arte. Et ſerpens etiam oculorum caligini cladiq; fœniculo paſta, non ne ſalubriter obſiſtit? Sed quid exē=plorum latiſsimo obiecto cāpo, in his, ne longior eſſem, timēs, à mihipſi prius præſcripta moderatione, diſceſsi? eo me paulò impenſius protruſit, aut planè tamen obſiſtentem, nonnihil tamen reluctantem, tanti uiri, & tam antiqui autoritas, & mirificus rerum illius naturalium uſus. Sed nunc me compono rurſus, & alijs multis à tergo relictis exemplis, illos nunc appello, illorum inquam, appello ruditatem, inſcitiam & intollerabilem impudentiam, qui parum piè noſtram, ingratiſsimi accepti ab ea muneris & officij, artem medicam conuellunt, ſuggil=lant, & ſine ulla ratione dilapidant. Veniant igitur, ueniant nunc demum illi uentricoſi, & pluſquam dici po=teſt inſulſi homines: ſed cūr homines uoco, cum belluæ ſint longè illis & prudentiores, & illos rerum naturalium uſu præcellant? an non eſt ineptum ualde, ignomi=nioſum, turpe, & ſupra omnium hominum captum ab=ſurdiſsimum, muta & rationis expertia bruta doctricis naturæ legibus parere, & illas in expellendis morbis obſeruare, & uos homines, ſi qui tales inter uos ſint, Gigantum more, naturæ repugnare, & quaſi bellum indicere? obijciāt nunc illi mihi, ſi brutis inferiores uide=ri uelint: plures ebrietate & crapula luxuriantes homines ad extremam ſenectutem peruenturos, quàm ex medicorum turba: quaſi non ſatis, etiam in ſuis tenebris ui=deant, doctorum medicorum cohortem ab illis, uel nume=roſa multitudine ſuperari. Poſt hos uero ſurgant illi, qui paulo doctius nobiſcum contendant, apud quos, ne=

ſcio

ſcio quo iure in adagium tranſit: qui medicè uiuit miſerè uiuit. Dic *nunc te rogo, quæ te dementia cœpit, quæ non ſolum tuum inficit iudicium, ſed prorſus te inferiorem brutis reddit: & ſubinde te aduerſus hanc diuinam artem contendentem impium facit? Quid enim ineptius, aut magis impium, & à ratione etiam magis alienum eſſe poteſt, quàm eum, qui ſic temperatè & ex ratione uiuit, ut mens ſit ſana in corpore ſano, miſerè uiuere, ut tu facis, iudicare? An ille miſer eſt, qui ſic corpori præſcribit uictum, ut à morbis conſeruetur & libera à malis ſuccis anima uirtuti & contemplationi commodius uacare poßit? Quid ad hæc dices? an ex Charybdi in ſyllam decidens negabis, quod omnes docti fateantur, mala nimirum uictus ratione plus ſatis augeſcentem bilem cum ſanguinem mixtam, uel etiam puram, & ſynceram, iracundiorem et rixis tumultuantem furibundo ſimilem reddere hominem? An non plus æquo auctus atrabilaris, ſeu melancholicus humor, fumis nonnunquam ſolum, aliquando etiam ſimul cum humoribus in cerebrū confertim irrumpentibus, ſic mētem perturbant, ut multi triſti quadam deſperatione & corpus, miſerabile dictu, & animam perdant? an non etiam uiſcidus & pituitoſus humor redundans in corpore, ſic ſtupidum, lethargicum, paralyticum, epilepticum, apoplecticum reddunt hominem, ut non ſolum corporis & animæ actiones in illo impediantur, ſed etiam, ſi arte medica non adiuuetur, illius uires, in alijs ſenſim & miſerè, in alijs ſubitò, extinguātur? Relinquo hîc ebrietate tumultuātes, relinquo maniacos & furibundos, relinquo paraphre=*

Gal. lib. de locis affectis & aliis multis locis.

neticos et febri ardentiſſima laborantes, ne iuſtò longior ſim, in quibus aliquando tantum apprehenſio, aliquando iudicium, aliquando memoria, & aliquando ex his duo & tria etiam ſimul corrumpuntur, ut illos brutis multò inferiores credas. Sed hæc unde? an non ex intemperata & efrena uictus ratione? Ah ô inſulſe & uentricoſe, cui tibi Deus uenter eſt, ſic temerè & ex arbitrio uiuere, & ad tales morbos aut ſimiles properare; an nõ eſt tuo iudicio, beatè & fœliciter uiuere? Imò ſanè. Nã ex εὐχύμοις, hoc eſt, boni ſucci εὐχρασίαν in corpore conſeruantibus cibis, ex medicorum præſcripto, ad quos hoc máximè attinet expendere, uiuere, miſerè uiuere affirmas impudentiſſimè. Quo quadam rerum ſequela fit, ut qui contrà, hoc eſt tumultuario ex arbitratu & crapuloſo uictus modo, citra omnem rationem et delectum, & ad eam rem inuentam artem, uiuit, is à te fœliciter & beatè uiuere credatur. Quod, ita me deus amet, nedum impetum quidem, & præter rationem eſt, ſed omnium bonorũ iudicio impiiſſimum, et minime inter chriſtianos tollerandum. Iam uidetis uiri chriſtiani, quàm amplum mihi in hos Epicureos debacchandi argumentũ offeratur: Sed hos flagro, uel potius pœna dignos grauiſſima quàm contentione literaria, miſſos facio. Quandoquidem hi illi ſunt, ut omnium rectè philoſophantium ſententia utar, ὧν ἐν ἡδονῇ πᾶσα αὐτῶν ἡ φροντὶς: hoc eſt, quia hæc alta uos tenere memoria uolo, quorum omnis in uoluptate cura eſt. Sed forſan ſurget poſt omnes illos erecta in medio aditiorio cenſoria uirgula aliquis, cui parum me ſatisfeciſſe conjecto dicens: beatus

ille uentriculus, qui nunquam eſt ablutus medicina, ſiue, ut illius utar uerbis, quem non conculcauit medicus. Dic *mihi ô bone uir?* Cuiuſnam *eſt illa, in qua tibi tam bellè places, ſententia, ſeu, ut uerius loquar, ſtultum & ridiculoſum ſcomma, cui nondum me tu rudis & parum in dialectices argumentis acutus, ſatisfeciſſe perſuades? uulgi.* At *uulgus eſt bellua multorum capitum: & nunc ſaxa uolant, & tecum ſæuit animis & non docta ratione, ignobile uulgus.* Qui *ergo illius ignobili autoritate, uel, ut apertius loquar, ſeditioſa uociferatione noſtram aſſertionem, non tantum doctorũ uirorum, ſed* Deorum *gentilium et ſanctorũ patrũ et prophetarũ et nõ illorũ tantum, ſed ipſius antiquiſſimæ naturæ, & ſummi & omnipotentis* Dei, *& ſubinde etiam Chriſti, ut tandem pluribus dicetur, proprio opere laudatam, commendatam, confirmatam & honorificè celebratam infirmare uis contumelioſius, & ſeditioſè nimium conuincere?* Sed *demus tibi, ut magis aperto & æquali tecum cõtendamus marte, doctorum uirorum & multa fide ualentium ſententiam eſſe.* Quid? *an non abundè tibi ſatisfactum eſſe credis, cum paulo ante artis dialectices benè inſtitutis illos beatè & fœliciter uiuere probaremus, qui uiuebant medicè?* Veruntamen *quia adhuc te non tantum uerbis, ſed seriò mecum contendere putas: dic nunc hîc mihi, ne longius noſtra in futili contentione fluat oratio, an dicterium illud, in quo triumphaturus exultas, de benè aut malè ualentibus intelligatur?* Nam *ſi de benè ualentibus, faciamus te unum ex illis eſſe: & te nunc rurſus appello uir ingratiſſime & impudentiſ-*

ſime, tuã inquam, appello ingratitudinem & impudentiam. An non illi Medicinæ parti, quam prius ὑγιεινὴν uocabamus, debes, quòd proprijs, & non repugnantibus, aut tuam naturam lædentibus, ſed appoſitè ipſi conuenientibus cibis in ſanitate uſquè ſemper fueris conſeruatus? Quod ſi forſan de malè ualẽtibus intelligi credas: dic nunc iam mihi, ut te craſſum & ſtupidum, & certè medico eleborum propinante egentem, rudi & craſſo conuincam exemplo: an ſi tuum ſubligar ſeu femoralia excrementoſa ſorde, ne etiam, bona doctorum uenia dictum ſit, merdoſa dicam, putreſcerent, parum commodũ & integrum eſſe, ſi ab excrementis mundarentur, iudicares? An etiam tibiam, aut aliam corporis partem ſordido malles exedi ulcere, quàm illam commodo pharmaco abſtergi, mundari, & medicorum opera conſeruari? non puto. Cur ergo tam nunc tuæ inuides ſanitati, aut etiam parum tibi conſtans, & apud te es, ut uentriculũ, aut etiam imũ uentrem putrido & offendente oneratum excremento, uel etiam ſordida fece flaccidum: & denique etiam illis læſis & langueſcẽtibus, totum corpus, uelis potius putreſcere & infeliciter tua collabi pertinacia, quàm illum, ut tuis utar uerbis, medicina conculcare: aut, ut proprius loquar, conuenienti pharmaco abluere, mundare & ſanitati reſtituere? An adeò es adhuc rudis, temerarius & ineptus, ut quod canem, Ibim, Ceruum, muſtellam, urſam à natura didiciſſe paulò ante, tanquam ad ſanitatem conſeruandam, uel etiam morbum infeſtantem expellendum commodum eſſe ſatis multis oſtendi: tu naturæ, ſanctis, prophetis & Dijs etiam re=

pugnans, neges, reprehendas, & tãquam naturæ inimicum reijcias ſtolidè & impudentiſsimè? Sed te Gigantum more cũ natura et Dijs & non mecum tantũ depugnantem, nõ ſolum ab hac ſchola abigendum, ſed à toto chriſtianorum cœtu, & non à chriſtianis tantum, ſed ab omni hominum genere, et non etiam ab iſtis omnibus ſolis, ſed & à brutis, hoc eſt rationis expertibus animantibus, ſi illa à tanto bono arcere uelis, non expellendum modò, ſed merito dilaniandũ relinquamus. Et nunc ad alios noſtra ſe conuertat oratio, qui iam nos rident, quòd hanc noſtram artem à Deorum gentilium autoritate & inuentione primum, & ſubinde, maturius paulò expendendo rem, confirmatione, cum tamen longo illos tẽporis curriculo præceßiſſet, apud chriſtianos nos nõ puderit tam multis hic cõmendare. Sed dicant precor iam illi: ſi apud eos tantum doctorum uirorum autoritas ualuit, & ualet etiam nunc, ut illa ſola, res, hoc eſt thema propoſitum, infirmari, aut extolli, omnium tam Rhetorum quàm Dialecticorum applaſu poßit: an non multò plus, in ijs potißmũ quæ nihil ad fidem faciunt, illorum autoritas, qui ſingulari quadam ingenij dexteritate & doctrina, non in doctorum tantum uirorum, ſed etiam et Deorum numero fuerunt inſcripti, apud uos ualere debet? Cæterum ut unum tandem ex multis colligam, ſi uos rerum naturalium elementa & earundem generationem & corruptionem, motus proprios, naturales & accidentarios, loca, cauſas, ordinem & numerum ſcire pulchrum eſſe ſemper æſtimaſtis: an non iam mecum impendiò pulchrius, commodius, ſua ipſius & re-

rum naturalium elementa, itidem & lapidum, minera=lium, arborum, fructuum & herbarum facultates noſce, quibus ueſtra ſanitas conſeruatur, & anima ad bene beateq; uiuendum & contemplandum multò aptior fit habilior & promptior æſtimare debetis? Sed quid hoc ſolum dico? Imò etiam, ſi doctis uiris fides aliqua habenda ſit, ſi talia exactè noſcas, illis iam emortua corpora, quod prima fronte uobis incredibile uidebitur, ad uitam denuò miraculoſè reuocabis. Veruntamen, ne in re tanta, omnem humanum captum excedente, ſine teſte longius abeam, & uos me ſibilo magis explodendum quàm audiendum eſſe credatis: an non Xanthus antiquiſſimus ille hiſtoricus, etiam Plinio poſt ipſum teſte, draconis occiſos catulos herba quadam Balaim uocata, de morte ad uitam reuocari dicit? Item etiam an uobis minus admirandum uidetur, quod Plinius diligentiſſimus hiſtoriæ naturalis ſcriptor narrat: picum ſuorum pullorum cauollæ foramen ligno, clauo, uel alia quauis re firmiſſimè occluſum ſola unius herbæ admotione aperire? Inſuper neque minus Herodotus ille fideliſſimus hiſtoricus mihi mirum uidetur dicere, cum ex Indis aliquos unius ſolius herbæ eſu contendit uiuere. Ad hæc neque minori admiratione dignum uidetur, quod Apianus quidã Alexandrinus, multum fide & eruditione apud omnes ualens, ſcripto nobis affirmauit: Parthos olim ab Antonio in ipſos uictoria fugatos, & fame prorſus collabeſcentes cuiuſdam herbæ eſu in tantam ueniſſe obliuionem & dementiam, ut in lapidis effodiendis, cum omnia præterita mala & præſentia è memo=

Plin. lib. natural. hiſto. 7

Xanthus Plin. lib. natural. hiſto. 25.

Herodotus li. 2.

ria excidiſſent, magnum ſe aliquid præſtare putantes, occuparentur. Ad hos accedit Galenus multò in his rebus maiore fide dignus, qui paulò ſua ante tempora herbam quandã tantæ uirtutis eſſe affirmauit, ut admota cuti omnem à corpore ſanguinem extrahere poſſet. Item quotidiana te, ſi uelis, experientia docebit, rubiam tinctorum tantum manibus, quod dictu certè eſt pluſquam admirabile, contentam aut diutius contractatam, uel etiam extrinſecus appoſitam, mox ſuum urinæ inducere & ſuffundere colorem. Sed forſan mihi tanquam ſecundus Perrias de omnibus dubitans dices: hæc quidem pulchra & iucunda, ueruntamen plus apud nos admiratione quàm fide ualere debent. Hæc eſt tua recens coniectura, quæ quo iure tam doctorum uirorum, et ab antiquo apud omnes receptæ autoritate ualentium ſententiæ ex æquò opponi debeat, haud ſatis poſſum uidere. Nam quid iam cauſari poteris, ſi tibi Galeni excellentiſſimi medici quotidiana proponatur experientia: morbum ſcilicet colicum ſolo lupini ſtercoris appenſu, non ſine magna præſentium admiratione ſæpiſſimè curatum fuiſſe? An id tibi minus mirum uideri debet? Aut etiam quòd noſtrorum horologiorum aciculæ alter mucro ſeptentrionem, alter meridiem oſtendat? non ſanè, niſi quotidiana forſan experientia aliquid de tam admirando effectu, qui ſingulis diebus oculis patet, detrahat. Siquidem quid tibi magis mirum ille uidetur dicere, qui herba præſenti aliqua admota uel aſſumpta catulum mortuum ſuſcitare, aut famem ſedare, aut recluſa patefacere, aut rerũ omnium obliuionem inducere, aut ſanguinem extrahere

Gal. in lib. ſimp.

Simon Sethi.

Gal. I lib. ſimp.

poſſe affirmat: illo qui adamantis uirtute ſeptentrionalem plagam occupantis, & plus minus paulò octingentarum leucarum milibus aliquando distantis, aciculam illam, rerum quadam ſimilitudine, ut quibuſdam placet, aut, ut alijs, occulta fortaſſe potius facultate, ita dirigi, attrahi, ut una illius parte ſeptentrionem, altera meridiem oſtendi contendat? nihil planè, ni meum me fallit iudicium. Quod ſi ſic: cur tibi tam bellè places, nolo enim aliquid acrius in te dicere, ut quæ ignoras reprehendas temerè; calumnieris & impudentiſſimè contemnas? Cur non potius admiraris, & totus in illorum cognitionem properas? Crede mihi uir rerum naturalium inquiſitor uigilantiſſime, multa, quæ hîc recenſere prudens nõ uolo, ſecreta naturæ ſunt, quæ admirari potius, quàm debant, aut poſſint aliqua ratione demonſtrari. Quæ ſanè omnia, ut multis ex ſuperioribus conſtat, ſolus medicus ex profeſſò tractat. Cum itaque Medicina noſtra non ſolũ ſanitatem cõſeruare, morbos expellere, omniũ rerum obliuionẽ inducere, et te ad uirtutes aptiorẽ & procliuiorẽ reddere, ſed, ut inter uiuos ſis facere, et, ſi exactè et ad unguẽ cognoſcatur, emortua corpora poſſit denuò, ut ſuperius oſtendimus, ad uitã miraculosè reuocare: Quid ueſtram nunc auditores beneuoli et circunſpecti, obteſtor fidem, beneuolentiam & iudicium nulla affectione corruptum, ipſa Arte medica utilius, pulchrius, iucundius, admirabilius, aut etiam magis neceſſarium in Republica eſſe poteſt? poteſt quis ſine Iuriſperitia, aut Theologia, aut alia quauis diſciplina uiuere: at ſine Arte medica, quæ ciborum te delectum, & ne

Vernerus in cõmen. in Geogra. Ptolomæi & Gali lib. ſimp.

uenena

uenena pro alimentis capias, docuit, & in dies magis ac magis experientia confirmat, haud quaquam uiuere potes. Neque tamen noſtram hanc artem plus nimiò, ut uobis forſan udietur, extollens negare uolo, quin Theologia ſanctiſsima, Iuriſperitia æquiſsima, uitam noſtram reddant & iuſtiorem & ſanctam magis: ſed hoc tantum contendo te ſine Medices opera non ſolum iuſtè aut ſanctè poſſe uincere, ſed quod magnum eſt, & cum nulla re conferendum, ne eſſe in uiuis quidem. Cæterũ, ut ex nimiũ altè forſan pro rudioribus et parum in dialectices argumentis exercitatis, aut his etiam, quæ ſenſum noſtrũ fugiunt deſumptis rationibus, ad ea quæ ſingulis diebus apertius paulò et luculentius in huius artis operibus uſurpantur oculis, deſcendam, et ſimul etiã eos qui ſolis ſenſui obiectis & præſentibus, belluarum more, tãtum mouentur in meam trahам ſententiam. Quid? an non ſingulis propè diebus, ne etiam horis & momẽtis dicã, ut in uobis fortaſſe ſæpiſsimè ipſi experti eſtis, claudum ulcere peſsimo, aut acerbè dolorifico, contumaci & fætido: aut phlegmone, ſcirrho, œdemate, carbunculo exurente, herpete & heryſipelate crudelius erodente, ut in his tantum pericliter exemplis, Medicinæ opera & rectè incidere, & ab omnibus iſtis liberari et benè ualere uidiſtis, & frequenter nunc uidetis? Inſuper & ſurdum audire, cæcos uidere, maniacos, pamphreneticos & ardente febri furibundos, aut frigido et craſſo mentem premente humore, aut obtenebrante uapore deſipientes & ſtupidos ſapere? Ad hæc & paralyſi diſſolutum multosq; annos iacentem, ſanitati demum, hac

eadem noſtra arte reſtitutum lecto relicto exilire, currere, palestra ſaltuq; certare, & ſano conſueta munia, ut prius faciebat, haud ſine magno omnium audientium & uidentium obire ſtupore? Præterea an nõ etiam aliquando ex uobis nonnulli morbo neopolitano exeſos, & ſordida ſanie oßiumq; horribili carie putreſcentes, & fœtido marceſcentes ulcere, ſæpe mortem, miſericordia dicendo ducor, in tantis exoptantes miſerijs priſtino flori Medicinæ beneficio reſtitutos & in nouos homines immutatos, & denuò, quaſi ab ipſa rerum parente natura efformatos conſpexiſtis? Quibus deos immortales & rerum omnium parentem naturam & uos etiam omnes unà in teſtes uoco: quid magis commodum, ſuaue, gratum, iucundum, deſyderatum, tanquam imprimis neceſſarium, &, næ quidem ſtupẽdum, ab alia quauis arte, quantumuis illa magna de corona & utilitate cum hac noſtra magnifica & diuina arte contendente in hoc morboſo ſeculo, non hominibus tantum, ſed omnium animantium generi præſtari elargiri, aut ab ipſis demitti Dijs in terram potuit? At ne tanta huius noſtræ artis munificentia, ad ſtuporem uſque admirabundus, obmittam ſemimortuos apoplecticos & graui ſyncope laborantes, ſine ſenſu, uiſu, auditu, guſtu, tactu, aut alio quocunq; uiuentiũ munere decũbentes, Medicinæ tandẽ induſtria audire, ſentire, guſtare, olfacere & præſentes inſpicere, proq; præſtito officio, aut, ut uerius loquar, diuino munere, et manum medico proferre adiuuanti, quod mihi ſæpe accidit dico, & ſenſim os aperire, & benè merito de ipſis medico ſingulares, haud in-

grati accepti numeris, ut iſti ſycophantæ frontisq́; per fricta Medicinæ uituperares ſunt, gratias poſt hac, ſi fieri unquam poterit, relaturos & repoſituros, agere. Sed quid his amplius dicã: hæc eſt illa ſola ars quæ claudum facit ambulare, ſurdum audire, & ex morbo infeſtante mutum fabulari, cæcum uidere, iacentem & morbidum ſtare beneq́; habere, inſtantem & impendentem mortem retrocedere, &, ut omnia in unum conferam: quæcunque hominibus ad hanc uitam mortalem ſalubriter peragendam neceſſaria ſunt, ſi deſint, poteſt præpropere & ſcite apponere: aut ſi ſemel & confertim abundent, ſubito & uniuerſim; ſi gradatim uero & ſpatio, pedetentim & tẽpore officioſe reijcere. Quod uenerandus ille ſenex multis ante chriſtum natum annis prudentiſſimè nouit, & nobis paucis uerbis elegantiſſimè demonſtrauit. Qui ſic ſua lingua, tanquam ſecundus profatur Apollo. Ιατρικὴ γάρ ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις. πρόσθεσις μὲν τῶν ἐλλειπόντων ἀφαίρεσις δὲ τῶν πλεοναζόντων. *hoc eſt, ut uerbo Græco uerbũ noſtra lingua reddam. Medicina, ait ille, enim eſt appoſitio & detractio. Appoſitio quidem deficientium: detractio uero redundantium. Quo quid poteſt in hac mortalium uita ad ſanitatem conſeruandam amplius deſyderari? Addatis etiam quòd hæc non ad ſanitatem modo & ad hanc mortalem uitam tuendam facit, ſed etiam, ſi fides ſit ſacræ Theologiæ doctoribus habenda ad uirtutibus illuſtrandam & in immortalem, quo nihil profectò præſtantius eſſe poteſt, commutandam. Veruntamẽ quia hoc ſatis multis et nimiũ longe pro medico pe=*

Hippo. & ab hoc Galenus in 11. method. adducto loco.

Baſilius mag. & alii propemodũ oẽs Theologi ſꝫ hic oĩno ex profeſſo lib. Quæſt. quæſtione. 50.

titis rationibus à Baſilio magno & ab alijs etiam multis,ſed ab hoc magis ex profeſſò doctiſſimè & elegantiſſimè confirmatur:malo te ad illum indicato,ſi dubitas loco,remittere, quàm prolixiori ſacrarum literarum ratione te hîc obtundere & fortaſſis importunè nimium confundere. Propterea,ut his tantum indicatis nunc ad philoſophicas rationes deſcendamus; non'ne ſi Platoni, Ariſtoteli,Hippo. & Galeno, & reliquorum omnium philoſophorum & medicorum turbæ eſt credendum, quibus tamen neminem ueſtrum in philoſophicis uelle refragari crediderim, animi mores corpori temperaturam ſequuntur? ut aperte,ſi dubitas,uides eos qui bilioſiore ſunt temperamẽto iracundiores & audatiores longè eſſe:melancholicos uero timidiores puſilanimes, & aliquos nulla occaſione timentes:pituitoſos ſegnes,terpidos,& pigros? Quod ſi id poteſt humorum in corpore δυσκρασία excitare, econtrariò illorum εὐκρασία ad moderatam,ſi ita mihi per philoſophos loqui liceat,audaciam,hoc eſt fortitudinem,magnanimitatem, patientiã, diligentiam & uigilantiam homines procliuiores & aptiores reddet.Docet tamen philoſophus uirtutis uiam, & multò profectius theologus: Iuriſperitus leges,quibus mali puniantur præſcribit prudentiſſimè. Sed nullus tamen iſtorum docet, neque id etiam ex ſe præſtare poteſt,quibus uijs poſſis hanc uel illam naturam,hoc eſt temperaturã reprimendo uincere,ſeu intemperaturas ad morbum & malum te propellentes, & actionem lædentes corrigere.Nolo hîc, etſi tamẽ per tranſenã comodè poſſẽ,dicere:multa apud philoſophos,theologos,uel etiã

Plato. lib. 4, de repub. in Timeo phedro & aliis multis locis: Ariſt. in ꝓblemat. & in lib. phiſionomiæ ſi tñ Ariſtotelis ſit, Hippo. lib. de natura humana. & Gal. peculiari libro, & lib. de temperamentis.

iuriſperitos eſſe quæ planè haudquaquam ab ipſis intelligi, aut ſine errore iudicari poſſunt, niſi auxilio Medicinæ, uel ipſo conſulto & aduocato medico: ut ſimplicium facultates & uſum, noſtram naturæ artificioſam compoſitionem & noſtrarum partium ſitum & uſum: titulum de uentre inſpiciendo, frigidis & maleficiatis, & id genus alia, quæ uobis harum rerum peritioribus, & expendenda & inter uos iam muſitando, me tantum admonente, & ad hæc ueluti digitum, ut aſpiciatis, intendente numeranda relinquo. Neque tantum id huius artis accedit imperitis, ſed etiam in grauiſſimos, magno ſuo et aliorum malo, errores dilabũtur, uel periculoſiſſimis, ut unicuique patet, morbis ſæpiſſimè infeſtantur, & de uita etiam, niſi adſit præſens medicus, periclitãtur. Quod non in philoſopho, Iuriſperito, aut etiam ſacræ theologiæ doctiſſimo ſolum, ſed in propheta ſanctiſſimo accidiſſe unico tantum, ne in re aperta longus ſim, & illo non uulgari quidem ſed fidei & ſanctitatis pleno, tibi apertiſſimo oſtendam exemplo. Nam inſignis ille & magnus Heliſeus propheta, cum filij prophetarum graui premerentur fame, calumniam magnam, neque id iniuria quidem, ab ipſis erat reportaturus, niſi forſan miraculo errorem ſuũ mox reſarciſſet. Siquidem ille, ut famẽ ipſorum reprimeret, cucurbitulam ſylueſtrẽ, quam græci κολοκύνθιδας uocant, ignorabat enim dicit ſcriptura, quidnam eſſet, ſciſſam in paratam coniecit pultem, qua adeo amara facta eſt, ut omnes cum guſtaſſent exclamarent: mors in ola uiri Dei! mors in ola uiri Dei! uiri Dei mors in ola! Quod ipſe, illis quodammodo attoni= Quarti Regũ. 4.

tus, audiens, ne illorum uſque clamor procederet, nõ ſolum ſtatim alia pulti admixta farina tantam repreſsit amaritudinem, ſed miraculo potius. Nã tanta eſt κολοκύνθιδος amaritudo, ut ſatis conſtat ijs qui illius norũt naturam, ut nulla farinæ admixtione, ut tandẽ plus illa comedẽtibus grata eſſet, corrigi potuiſſet. Adde etiã quod ſi illa ſola in planta creuiſſet κολοκυνθὶς, ſi doctiſſimis quibuſdam & experientiſſimis creditur medicis, præſentiſſimum illis omnibus fuiſſet uenenum. Vides nunc, ni prorſus in ſole uis ſecutire, quantum ſuæ famæ & boni nominis ſanctiſſimus ille propheta erat ex Medicinæ ignorãtia iacturam paſſurus, ſi pro alimento uenenum filijs prophetarum obieciſſet, aut æſculenti amaritudinem miraculo non compreſsiſſet. At caſu quodam, dices, fortuitò, & non medices artificio factum eſt, ut hic ſanctiſſimus propheta in plantã plures κολοκύνθιδας ferentem inciderit, & uenenum filijs prophetarum pro alimento nõ obiecerit. Quod certè ego nec inficias eo: ſiquidem frequentiſsimè ſolet accidere, ut qui ſe medicina uti non putant, illiipſi maximum ex ea ſuſcipiant fructum. Quod apertiſsimè patet in his qui non aduocato medico uictu admodum tenui, ſublato à morbi uehementia appetitu, priſtinæ ea Medicinæ parte, quã διαιτητικὴν uocabamus, reſtituuntur ſanitati. Similiter in his qui febri continua, uel tertiana ardentiſsima, cum con coctus humor eſt, aquæ frigidiſsimæ potu, Galeni præſcripo, inſcij tamẽ, utẽtes, alia Medicinæ parte liberantur. Item ſepiſsimè etiam contingit in capitis uehementi ex ſanguinis abundantia excitato dolore; ut in nari=

Auicenna Meſue & alii Arabes fere omnes.

Gal. in metho: & in arte curatiua ad Glauconem.

Gal. lib. Criſiũ.

bus ſanguine titilante pruritus excitetur, & nos ſcal= ptu, id nos docēte natura, ſanguinis fluorem excitemus, & ſic expellatur capitis dolor, non aliter quàm aduoca to & præſenti medico. Quo ſanè fit, ut non iniuria ma gnum aliquid & admiratione dignum, ut uenerandus il le ſenex noſter affirmauit, atque haud ſcio an maximu m noſtra ars medica eſſe credatur, cum ob multas alias cau ſas, tum uel eo maximè, quòd non his ſolum qui ipſam laudant & amplectuntur, ſed his etiam qui prorſus il= lam & funditus, ingrati accepti muneris, nituntur tol= lere, ſuum neque uult negare officium neque operam: Itaq; ſi forſan nunc roges, prius adductarum, tam ex philoſophis quàm medicis definitionum oblitus, aut pa= rum in hac parte illis credens, quid noſtra ars medica à nobis tātum exaltata, ſit? nō ex philoſophis, aut etiā me dicis, ne rurſus hic parū etiam illis credas, ſed ex ſacræ Theologiæ doctoribus, quibus fidem non adhibere pia= culum & parum chriſtianum eſt, reſpondebo: eſt τῆς φιλανθρωπίας, ne græci uocabuli energiam parui fa= cere uidear, charitatis & ſynceræ cuiuſdam beneuolen tiæ in omnes homines ſtudium: aut etiam hmanæ naturæ conſeruandæ auxiliatrix ſcientia. Vnde ſtudium Medi= cinæ, ut Baſilio illi magno inſigni et antiquiſſimo Theo logo placet, nihil aliud eſt, quàm propenſio quædam be neuola, ſeu ſyncerus in omnes homines amor. Cū ergo in hoc mortali ſeculo nihil ſit, ut ille dicit, cum ſanitate conferendum: quis nunc adhuc poterit dubitare, niſi for tè tam docti et ſancti uiri ſententiam uoluerit contentio ſe & parum chriſtianè reijcere, quin noſtra ars medica

Hippo.lib. medicinis pu gantibus.

Baſilius mag. Euſtatium me cum.

Baſilius mag Epiſto, 50.

inter alias omnes et principatum teneat & ſummo iure primum locum ſibi uendicet? Quamobrem non temerè, aut ſine magna cauſa & longa experientia confirmato iudicio ab illo, omnium certè poëtarum principe, dictum eſſe creditur.

Homerus iliad 11.

Ιατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Quod itidem & diuinus ille Plato confirmauit dicens.

Plato in conuiuio et 5. de legi.

ὁ μὲν γὰρ ἐνὸς ἐστὶ πολλῶν ἀντάξιος ἑτέρων.

Adde etiam quòd non ſolum diuinus ille philoſophus medicum cum multis alijs ciuibus conferendum eſſe affirmauerit, uel etiam multis alijs dignitate præponendum: ſed in Dialogo de Regno illum cum Rege & monarcha comparauerit, & ſcitè & per appoſitè contulerit. Cæterum noſtræ tandem orationi imponamus finem, modo prius his philoſophicis & argumentationum ui confirmatis rationibus & theologorum ſententijs, quæ tamen uobis, ni fallor, ſolæ ſatisfacere debent, alias ex ſacrarum penitiore literarum ſinu, quas nemo pius negare poterit, addiderim. Quandoquidem fortè mihi obijciet aliquis: bellè quidem ab Ethnicis & Deorum gentilium autoritate, & humana etiam ratione plus ſatis æquò laudandam medicem oſtendiſti: Sed uſque nõ adeo multum ſufficienter ex ſacris literis id comprobaſti. Quid ergo hæc nos curamus Chriſtiani? An iſta, quod tamẽ prius es policitus nos conuincunt, uel etiam repugnantes in tuam ſententiam urgentius trahunt? Quid ſi hæc omnia ex prophanis & Ethnicis aut ab hominibus hauſta uidentes, negnaremus? Ajt poſtquam nulla adhuc ratio tibi abundè ſatisfecit, ne poſthac ulla in medicos obſtrependi

Plato in Dial. de Regno.

ſtrependi

ſtrependi relinquatur occaſio: me de his, paucis et per=
functoriè, longo orationis pertæſum fluxu, diſſerentem
uigilantius audi. Sed prius te, quia ſemiſomnem & cra
pula corruptum, aut contradicendi ſtudio peruicacem
& plus ſatis contentioſum uideo, ô ſtollide & uentri=
coſe, hîc, ut adſis mihi dicenti auribus & animo alta uo=
ce, ut audias, appello: erige mentem, arrige aures, exper
giſcere ô ſtupide & ſomnolente: adeſto, ut te adeſſe ui=
deo corpore, ſi forſan talis eſt hic inter uos, quod certè
haud facile crediderim, præſenti, attento, peruigili & do
cili animo: exurge à ſomno, prodi relictis tenebris in lu=
cem, excita demum tuum ex tam alto ueterno animum.
audis? Quid? an es adhuc adeo ineptus, peruicax, ſtol
lidus, ne dicam etiam impius & ἄθεος, ut Timotheum — Prima ad Timoth. 5.
diui Pauli medici exhibentis officium, conſilio ad ſui uen
triculi imbecillitatem, & propter frequentes ſuas infir
mitates, modico uino utentem, quod modicè uiuat, miſe=
rè affirmes uiuere? An diuum illum Paulum ô impie
& uentricoſe ridebis, quod medicorum fuerit uſus præ
ſcripto? An Chriſtum etiam reprehendes, qui, & ſi — Ioann. 9.
ſolo nutu malè ex oculis habentem ſanare potuiſſet,
manum tamen, medicorum more, ſputo & luto confecto
pharmaco, ægroto admouere uoluit? An tu, quod ille
Matthæi nono male habentibus affirmauit opus eſſe me — Matth. 4.
dico, negabis? præterea ſi Samaritanus ille, alioquin
ex ſecta iniquus & malus, proximi nomine, oleo & ui=
no uulnera malè habentis aſpergens, & medici officiũ
faciens, ab ipſo Chriſto eſt decoratus: quid chriſtiano — Luc. 10.
medico factum fuiſſet? poſtremò quid tu ad hanc eccle=

ſiaſtici ſententiam es reſponſurus? honorate medicum,
Eccle. 30. *propter neceßitatem enim creauit illum altißimus: im=*
pingat etiam, dicit ille, oblationem tuam & da locum
medico. Item *an te prudentiorem credis* Ioſepho *illo ui=*
Gene. cap. 5. *ro prudentißimo & ſanctißimo, quem ex* Geneſi *notũ*
eſt, medicorum fuiſſe uſum opera? præcepit enim, ut
ſcriptum eſt, ſuis medicis, ut aromatibus, ſicut tunc apud
illos moris erat, emortuum patris condirent corpus. Ad
Exodi 2. *hæc etiam, an parum prudenter & ſanctè, quod ſi quid*
aliud, eſſet impiißimum, à ſummo Deo *præceptum eſſe*
audebis dicere: ubi præcepto cõmendatur, ut qui per=
cuſſus fuiſſet, illius à quo fuerat percuſſus in medicos im
penſa ſanaretur? Inſuper *an etiam parum libenter au=*
dies, quod ſummi medici præſcripto Eſaias *ille prophe=*
ta magnus, ſucubus ad cataplaſmatis formam contuſis,
Eſachiæ *regi ex uulnere malè habenti, quaſi medicorũ*
miniſtri officium faciens, priſtinam reddiderit ſanita=
tem? Audi *etiam ſupremum illum omnium rerum ineſ*
4. Reg. cap. 2. *fabilem creatorem per ſuum prophetam loquentem: nun*
quid reſina non eſt in Galaad? *aut medicus non eſt illic?*
Quare *igitur nõ eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?*
Vbi *medicus, ut uides, cõparatur cũ theologo: & cõtrà.*
Nã, *ut* Baſilius *magnus nos doctè hũc locũ interpretã*
Ierem. 8. cap. *do admonet: ſicut medicus iã expurgato et oppleto ulce*
Baſilius mag. *re carni cutẽ ad externas obducit iniurias, ſic etiã* Theo
in quæſtio. *logus emundatã & expurgatam à peccatis animam ad=*
uerſus futuras iniurias, hoc eſt tentationes & cacodæ=
monis opreßiones, illam adhuc teneram, imbecillem &
infirmam confirmare debet. Iam *planè, ni omnino ſal=*

lor, intelligis, quanti ſummus ille omnium rerum crea=
tor medicum per ſanctiſſimum illum prophetam, & ui=
ros illos omni ſanctimonia claros, obſeruantia, cultu, re
ligione apud omnes percelebres & uenerandos fecerit?
qui ſubinde poſt longam, ſingularem & honorificam
medici cōmendationem illū pro archetypo ad uerum &
perfectum theologum eformandum nobis omnibus ſan=
ctiſſimè propoſuerit? Hic multò plura ex ſacris literis,
niſi me tempus alio uocaret, & noſtra oratio orationis
modum excederet, haud incommodè adducere poſſem: ſed
cùm uideam uos omnes, ſaltem bonos, doctos, & in phi=
loſophica diſputatione exercitatos, & etiam ſimul alios
omnes & mordicus etiam obſiſtentes, ſed timentes ta=
men, ſi qui tales, quod non credo, adhuc ſint, ne ſi negent
parum chriſtiani & pij uideantur, iam liberè, & quaſi
ſigno capite dato, iam diu in meam ſententiam deſcendiſ=
ſe: lubens & prudens obmitto. Neque iam aliquid ſum
ad illam in medicos obtrectationem, etſi tamē multa poſ
ſem, reſponſurus, qua ſummo illi medico à phariſæis ob=
ſtrepebatur, clamātibus Ιατρὲ θεράπευσον σεαυτὸν: Luc. 4.
hoc eſt medice cura teipſum. Nam ſi illi ſub medici no=
mine, qui tamen omnia, uel ſolo uerbo poterat, illud ip=
ſum fuit obiectum quì ægrè ferre poterit medicus, ſi ea
dem illi nunc, quæ olim Chriſto, obijciantur? Quæ pre
cor illi maior laus accidere poteſt, quàm comuni illa cùm
Chriſto affici contumelia? At ne forſan quis ex uobis
illa quæ ſuperius ex Baſilio magno adduxi, haud qua=
quàm inter antiquos theologos eruditionis contemnen=
dæ, aut etiam proletariæ, uiro, reliquos enim, ne longū

facerem, ſacræ theologiæ doctores medicinam ad cœlum uſque certatim extollentes, obmittere uolui, dicta eſſe iã obijciat ab illo mihi magis opinione, fama, rumore, aut beneuolo & propenſo in hanc noſtram artem animo, quàm aſſertione matura, recto & confirmato experientia iudicio, ut ferè in iudicijs iſtis cõmendatitijs fieri ſolet, nam de aliorum fide ſine ſumma impietate dubitare non potes: ipſum iam ſuâ lingua loquentem & ſeipſum interpretantem, ne aliquid infuturum tibi hac in re ſcrupuli reſtet, producam in medium. Qui poſtquam multis, luculenter & mirificè Medicinam *cumulatè extollendam cõprobaſſet, in hæc prolabitur uerba:* ταῦτα δὲ λέγω οὐ μόνον ταῖς τῶν πολλῶν φήμαις ἑπόμενος, ἀλλὰ καὶ τῇ κατ᾽ ἐμαυτὸν διδαχθεὶς πείρᾳ, *hoc eſt: hæc autem, inquit, dico, non ſolum multorum ſequutus famam, ſed longâ magis in meipſo edoctus experientia.* Nunc *ergo tandem mecum, cum mihi tibi ſuperſit, quod dicas, affirmabis, artem illam pulchram quidem, honeſtam, iocundam, commodam & ualde etiam* Reipublicæ *neceſſariam: ſed, ut etiam uenerandus ille ſenex fatetur, & ueluti ex tripode fatur:* βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. V*erumtamen an es adhuc neſcius apud illos antiquiſſimos* Græcos *in adagio ſemper fuiſſe:* δύσκολα καὶ χαλεπὰ πάντα τὰ καλά? Item & *ab* Iſocrate Demonicum *ad ardua & magna exhortante dici:* ἐὰν ἦς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής? Q*uare uiri ſacri, prudentes, eximij, ſplendidiſſimi et generoſi, & uos omnes qui huc me audiendi gratia ueniſtis, ſi*

aſilius mag. piſtol. 50.

Iippo. apho. 1. ımæ particu- æ.

ſocrates ad De- ıonicum.

quid uos naturæ ſenſus & ueſtræ ſanitatis ratio, uita, & animi ad contemplandum & ſtudioſe uiuendum habilitas & promptitudo, ipſius rei utilitas, iocunditas, neceſſitas, & nõ ſolum patrum noſtrorum & doctorum uirorum, ſed etiam ſanctorum patrum et prophetarum, & deorum nedum gentilium, ſed chriſtianorum omnium autoritas, ſtudium, uirtus, officium, chriſtiana fides, pietas, religio, & ut in ſumma & comprehenſim dicam, ſi ratio aliqua humana aut diuina mouet; hanc artem longam, ſed iocundam, periculoſam, ſed ualde commodam & neceſſariam, difficilem, ſed pulchram diuinam & honeſtam, & quæ etiam facilè, ut omnia uolentibus, aſſequi poteſt: ſine qua tamen, nec tantũ benè uiuere, ſed ne eſſe quidem inter uiuos, ut eſt oſtenſum, poteſtis, amplectamini. Hanc, quæ nõ modo illis qui ipſam uenerantur, bene facit; ſed illis etiam qui ex radice ipſam euertere conantur, amate, & mecum etiam colite. Hanc inquam, quam non ſolum homines docti, ſancti, ſed Dij ipſi & prophetæ amplexi ſunt, & ſuis operibus cõmendarunt, non ut aliquibus hominibus cõmodam tantum, ſed etiam omnibus, & denique ipſis brutis præter cæteras neceſſariam, ueneremini, mecum ſtollite, & apud omnes religioſè non defendite tantum, ſed etiam, ne in eam quæ uos ſeruat ingrati uideamini, multis poſthac celebrate. Nam quid precor ſanctius poteſtis facere, quam quod ipſa rerum omnium parens natura inſtituit, ſanxit, & ipſe omnium etiam rerum Dominus opere, autoritate, & præclaro quodam encomio ſanctificauit, amplecti, ſuſpicere & uenerari? Et contrà etiam quid iniuſtius,

iniquus, & impium magis eſſe poteſt: quam id neglige re, fugere, damnare & contemnere, quod ſummus ille omnium rerum creator & Dominus *& ſancti omnes non ſolum ut cõmodum, iocundum, delectabile & pul chrum, ſed, ut generi hominum conſeruando maximè ne ceſſarium, opere, autoritate, & ſingulari quodam inter cæteras artes præconio commendarunt? Clamate ergo nunc mecum & conclamate tandem omnes auditores be*

Homerus. *neuoli & circunſpecti, & cum* Homero *illo omnium poetarum coryphæo unà mecum affirmantes occinite.*

Ιατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

D I X I.

FINE

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA